

Alojz Gradnik:

MORS VICTRIX

Vidi vere novo iam faciem tuam:
Privabas cerasos tum fera floribus.
Sensi te aestifero tempore denuo:
Stridebas, quaterent cum sata grandines.

Nunc autumnus adest. Semper abhinc eris
Nobiscum celebrans munera pampini;
Ex ramis rigidis frigore ubique sunt
Abs te iam positae funerae cruces.

Milan Begović:

DUNJA — CYDONIA

Expandit patulos nostra cydonia
Ramos ecce meorum ante Lares patrum,
Per frondes teneras sol radios iacit
Ac fructus redolent suaviter aurei.

Balatu resonant arva procul gregis
Pastoresque vagi carmina concinunt,
Tintinnabula equorum aere personant.
Mi nictat canis ex aedicula sua,

Prudenter speculans. At misere meum
Cor desiderio tabet et anxia
Pererrans anima est praeteritos dies, —

Sed gratus sapor hic me memorem facit
His isdem pariter, virgo, cydoniae
Fragravisse tuum pectus odoribus.

Liu-Yu-Si — A. Gradnik

CVETKE — FLOSCULI

Haurio calices fortiter ebrius
En cinctus variis floribus undique.

Ne dicant, timeo, nunc mihi flosculi:
„Scito hoc, non sumus hic pro senibus, bene!“

Ljubljana.

Vertit: S. Kopriva.